

INSTITUTIONUM

CANONICARUM

LIBRI TRES

AD USUM SEMINARII NEAP.

AUCTORE

JULIO LAURENTIO SELVAGIO

PRESBYTERO NEAP.

In eodem Seminario

JURIS UTRIVSQUE ANTECESSORE

Editio altera castigatior, & auctior, cui præter cetera
accessit plenius Syntagma Juris Ecclesiastici
Neapolitani.

TOMUS I. LIBER

Δεύτεραι Φροντιδες σοφώτεραι.



MATRITI.

APUD ANTONIUM DE SANCHA,
in Platea (vulgò) de la Aduana Vieja. 1778.

*Se hallará en la Libreria de D. Bernardo Alberá,
Carrera de San Geronimo.*

P R Æ F A T I O.

Mirari vel in ipso vestibulo subit, quae de causa veteribus, recentioribusque Canonici Juris Institutionibus sane multis, ac politioribus quidem, novam hanc nostrarum accessionem non sine adolescentium studiosorum incommodo, atque etiam fastidio meditemur.

Verum alia nobis mens, consilium aliud: non enim quidquid in rem Canonicam undecunque derivari potest (quod quidem doctissimi quique non sine summa laude præstiterent) huc congerere cogitavimus; sed ecclesiasticis tantum adolescentibus id Canonici Juris solum proponere, quo & eorum mens potioribus principiis informaretur, & animus sanioribus regulis, quantum ad eorum munia satis est, imbueretur. Quod quidem aliter effici non posse credidimus, nisi Canonum & Historiam, & *Σύνταξιν nexum*, & *Σκοπὸν finem* brevi quidem, at perspicua methodo persequeremur. Id vero non opportunum modo, ac proficuum, sed propemodum necessarium duximus.

Et quidem quantum ad Canonum His-



D E

JURIS CANONICI

ORTU, ET INCREMENTO.

DIATRIBA ISAGOGICA.

I. **Q**UEMADMODUM fluminis cujuscunque inundantes aquas longo in cursu dirigere, & ad libellam componere iis tantummodo datum est, qui fontes, occultasque scatebras, unde in flumen rivulus excrescit, liquido pernoscent; ita prorsus rectam Juris Canonici intelligentiam habere, ejusque callere auctoritatem is tantum poterit, qui partes omnes, quibus idem jus constat, & tempora, quibus eadem partes vel in unum coaluerunt, vel nova in dies sumserunt incrementa, vel quandam quasi rubiginem contraxerunt, vel denique ad pristinum pervenere nitorem, oculis veluti in tabula explicata subjiciet. Iccirco mihi juris ejusdem elementa tradituro illud præcipuum videtur, ipso in limine subsistere aliquantulum, & Canonici Juris universi fontes omnes, ac recessus intento veluti digito præmonstrare, ut scaturientes ab initio, ac subinde decurrentes aquas Canonice disciplinae diligenter haurire, & puras a lutulentis, fluvios a torrentibus discernere facillime quisque possit.

II. Ut autem institutum hoc nostrum ordine exigatur, & in brevitate claritas fulgeat, integram Juris Ca-